

Council of Zaragoza

XXXIII. CONCILII CAESARAGUSTANI TRIGINTA EPISCOPORUM

I. Ut faeminae fideles a virorum alienorum coetibus separentur.

II. Ut diebus dominicis nullus ieiunet, nec diebus Quadragesimae ab aecclesia se abssetet.

5 III. Ut qui Eucharistiam in ecclesia accipit et ibi eam non consumit, anathematizetur.

III. Ut tribus ebdomadis, quae sunt ante Epiphaniam, ab ecclesia nemo recedat.

V. Ut qui a suis episcopis privantur, ab aliis non recipiantur.

10 VI. Ut clericus, qui propter luxum monachus voluerit esse, excommunicetur.

VII. Ut doctoris sibi nomen quis non inponat, cui concessum non est.

VIII. Ut ante quadraginta annos, sanctaemoniales virgines non velentur.

EXEMPLAR SENTENTIARUM episcoporum concilii Caesaraugustani quarto nonas Octobris.

15 Caesaragusta in secratario residentibus episcopis Fitadio, Delfino, Euticio, Ampelio, Augentio, Lucio, Itacio, Splendinio, Valerio, Simposio, Caterio et Itadio, ab universis dictum est: Recitentur sententiae. Lucius episcopus legit:

20 I. Ut mulieres omnes ecclesiae catholicae fideles a virorum alienorum lectione et cetibus separentur, nec ad ipsas legentes alii studio vel docendi vel discendi convenient, quoniam hoc et apostolus iubet.

Ab universis episcopis dictum est: Anathema futuros, qui hanc concilii sententiam non observaverint.

25 II. Item legit: Ne quis ieiunet die dominica causa temporis aut persuasionis aut subreptionis, nec Quadragesimarum diebus ab ecclesiis fideles desint, nec habitent in latibulis cubiculorum ac montium, qui in suspitionibus perseverant, sed exemplum et preceptum custodiant sacerdotum et ad alienas nullas agendorum conventuum causas non convenient.

Ab universis episcopis dictum est: Anathema sit, qui hoc commiserit.

30 III. Item legit: Eucharistiae gratiam si quis probatur acceptam in ecclesia non sumpsisse, anathema sit in perpetuum.

Ab universis episcopis dictum est: Placet.

35 III. Item legit: Viginti et uno die, id est XVI die Kalendas Ianuarias, usque in diem Epiphaniae, qui est VIII Idus Ianuarias, continuis diebus nulli liceat de ecclesia absentare in domibus, nec sedere ad villam, nec montes petere, nec nudis pedibus incedere, sed concurrere ad ecclesiam. Quod qui non observaverit de susceptis, anathema sit in perpetuum.

Ab universis episcopis dictum est: Anathema erit.

V. Item dictum est: *Ut hi, qui per disciplinam aut sententiam episcopi ab ecclesia fuerint separati, ab aliis episcopis non sint recipiendi. Quod si scientes episcopi fecerint, non habeant communionem.*

40

*Ab universis episcopis dictum est: Qui hoc commiserit episcoporum, non habeat communionem.*

VI. Item legit: *Si quis clericus propter luxum vanitatisque presumpsum de officio sponte discesserit, ac velut observatorem legis monachum videri se maluerit esse quam clericum, ita de ecclesia repellendum, ut, nisi rogando atque observando plurimis temporibus satisfecerit, non recipiatur.*

45

*Ab universis episcopis dictum est: Ita fiat.*

VII. Item lectum est: *Ne quis doctoris sibi nomen inponat preter has personas, quibus concessum est, secundum quod scriptum est.*

*Ab universis episcopis dictum est: Placet.*

50

VIII. Item lectum est: *Non velandas esse virgines, quae se deo noverunt, nisi quadraginta annorum probata aetate, quam sacerdos conprobaverit.*

*Ab universis episcopis dictum est: Placet.*